

Alte Drucke

**COMMENTARIVS || IN EPISTO-||LAM DIVI PAVLI || APOSTOLI
AD || Ephesios,|| Scriptus ab || EGIDIO HVNNIO, S.
THEO-||logię Doctore & Professore in ...**

Hunnius, Aegidius

Frankfurt/Main, 1587/(1588)

VD16 ZV 27865

CAPVT III. ARGVMENTVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148399

*Cherubin Testamentorum noui, & veteris vnice res-
 Actor. 10. xerunt. Huic omnes Prophetæ perhibent testimonium,
 quod in ipsius nomine peccatorum remissionem accipiant.
 Psalmi. 50. qui credunt in eum. De hoc in ipso summo capite libri
 scriptum est. Hunc Moses præfiguratur: vaticinantur de
 illo Prophetæ: Hunc Ioannes digito suo monstrauit: Hunc
 per præconium Euangelij totus Apostolorum chorus per
 aterni Dei delegationem in omnes gentes manifestauit.
 Hunc ergo vñ animi testimonio sic declaratum Messiam
 Psalmi. 2. recipiamus, hunc colamus, osculemur, & seruiamus ei in
 timore & tremore, vt ipsi tanquam pretiosissimo angu-
 lari lapidi inserti, crescamus in templum sanctum Do-
 mino, neq; vnquam vt reprobi lapides abijciamur.*

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

DVÆ sunt huius capitis partes. Priore ostendit causam vinculorum suorum. Quæ ob rem longè augustissimam sibi euenire confirmat, nempe ob annunciationem Euangelij inter gentes. Cuius maiestatem mysteriorum celsitudine maiorem in modum extollit. Posteriore infert suam ad Ephesios petitionem, quæ contendit, cum hæc sua captiuitas non villam aliam ob causam, quàm propter Euangelij prædicationem acciderit: ne eius apparente coram mundo

mundo ignominia se deterreri à professione fidei Christianæ sinant, sed potius in ea magis ac magis roborentur. Quod non tam ab ipsis petit, quàm supplicibus à Deo votis contendit.

PRIOR PARS.

Huius rei gratia ego Paulus vinctus sum, &c.] Tacita videtur translatione, conferens aliquam vinculorum suorum causam in Ephesos & reliquas gentes, ut nunc fundamenta sternat exhortationis, quam apertè subiunget. Eò enim directæ sunt hæc, ut tantò deinde fortius inferat, ne deficiant propter suam captiuitatem, cum ipsi quodammodo sint illius causa. Et est sensus verborum Pauli hic: Exposui nunc vobis, in quam præclaram lucem agnitionis diuinæ, omniumque cœlestium honorum communionem suis è tristissima seruitutis statu euocati: idque per prædicationem Euangelij de IESV CHRISTO. In qua dum fideliter laboro, mundus hanc mihi mercedem soluit, ut in vinculis Romæ detinear, non ob scelus aliquod ligatus, sed propter Dominum meum, cui seruo in annunciatione Euangelij, tanquam vinctus Iesu Christi. Et quidem pro vobis gentibus. Dum enim hoc ago, ut fiat is domesticus Dei & sanctorum conciuēs: Satanas per sua impietatis ministros hanc mihi tragediam mouet, si fortè bonum opus aut dissipare, aut certè retardare possit. Porro accidit hæc captiuitas Pauli circiter annum Christi 58. Imperij autē Neronis, secundū aut tertium.

Q 3

Siqui-

Siquidem audistis dispensationem] Officij sui rationē paulo altius ex gestis superiorū annorum retexit Apostolus, & suum munus vindicat diligenter ab aliorum obreftationibus : luculenter edocens, se non temeritate quadam sine ordinaria vocatione ad tam sublime officium tractandum accessisse : sed per vocationem planē cœlestem Quasi dicat : Audiuistis iam antè per famam publicam de meatum conuersione, tum vocatione ad Apostolatium in orbe sparsam : quomodo ad dignitatem huius officij peruenerim, non communi illa ratione vocatus, sed extra communem ordinem singulari quadam dispensatione gratiæ Dei, quæ data est mihi in vos gentes. Neg, tantum vocatus sum specialissima vocationis modo : sed noua insuper & cunctis retrò seculis inusitata ratione institutus in doctrina, quā aliis propositurus eram. Nam secundum reuelationem mihi illa innotuit, quam Apostoli ceteri ex concionibus Christi aliquot annorū curriculo perceperant. Nominat autem doctrinam Euangelij mysterium quadam antithesi ad legem, quia non sit naturā nota, ut legis aliqua particula hominum mentibus inscripta est : sed simpliciter ab omni ratione humana abscondita doctrina. Quemadmodum antè scripsi paucis] Hac altera est coniectura, ex qua colligit, nondum obitos esse Ephesios, quo pacto per diuinam vocationē ad preconium Euangelij ordinatus, & per singularem reuelationem Iesu Christi ad id munus rectè obeundum mirabiliter edoctus & institutus sit. Id, ait, constare Ephesius, non

tam ex cōmuni fama, quàm ex Epistola priore quadam
ad ipsos priuatim scripta, qua tamen hodie non extat.
Qua etsi breui fuerit (ducit enim se scripsisse paucis)
posset tamen illos, si legant & relegerint, intelligere, quan-
tam ipse cognitionem habeat in mysterio Christi.
Euangelica autē doctrina, vt & prius dictū est, hac peri-
phrasis est. Quam ob profunditatē rerum in ea recondi-
tarū subinde mysterij nomine notat. Sicut mox nominis
rationē exponens, addit: id in alijs ætatibus non in-
notuisse filiis hominum. Nā etsi Prophetæ, aliq̃q̃, p̃ij
veteris populi non ignorarunt doctrinā de venturo Mes-
sia: tamen multa circumstantia, multa eius mysterij
partes manserunt ipsis quoque Prophetis incognita.
Quemadmodum neque ea, quæ ipsimet ex solo spiri-
tu sancto prædixerunt, ita explicite intellexerunt, vt
p̃ij in nouo Testamento, posteaquam totum negotium
incarnationis CHRISTI, cōuersationis eius inter ho-
mines, passionis & mortis, resurrectionis item & exal-
tationis ad dextram potentia DEI, nec non regni eius
forma, & gentium ad id vocatio iam per manifestum
complementum quasi oculis hominum sunt subiecta.
Multo minus verò gentilibus hæc innotuerunt priori-
ribus ætatibus (respectu gentilium enim potissimum hæc
dicuntur) sed planè fuerunt antegressis temporibus su-
pra omnem captum intelligentie sic posita, vt nullus sa-
pientium neq̃ Principum seculi huius ad ea cognoscenda
potuerit conscendere. Proinde vult dicere: Hæc præsens
ætas superat omnes præcedentes ætates hominum.

Huic enim soli reſeruata fuit patefactio integri myſte-
rij, illuſtris hac cognitio Chriſti, quæ poſſimum eſt ſan-
ctis Apoſtolis & Prophetis ſeu Doctõibus Eccleſiæ
reuelata, per ſpiritum, qui cœlitus ſuper illos effuſus
in memoriã conciones Chriſti eis reuocauit, & myſte-
ria regni cœleſtis plenus patefecit, vt ipſi porro alijs eo-
rum abſtruſa pandere, & de illis in orbe teſtificari poſ-
ſent. Inter partes huius myſterij eſt etiam hæc, quod &
gentes ſunt omnium beneficiorum Chriſti participes.
Quæ res ſub initium Eccleſiæ ipſis Apoſtolis quæq; abſur-
da videbatur, vt exemplo nobis eſt Perrus, Act. 10. 1. ri-
bus autem vocabulis vititur, quibus donum, quod gentili-
bus obtrigit in Euangelio, exprimit. Vocat cohæredes
Iudeis. Qui quandoque videbantur ab hereditate cœle-
ſti penitus excluſi. Vocat $\sigma\upsilon\gamma\gamma\epsilon\mu\epsilon\iota$ $\epsilon\delta\upsilon\eta$, id eſt, qui
vnius iam ſunt corporis cum conuerſis ad Chriſtum Iu-
deis. Vocat conſortes promiſſionis in Chriſto, hoc
eſt, promiſſionis gratiæ, quæ per Chriſtum humano ge-
neri cõtigit, & annunciat per Euangelium. Quam
participatõnem gentilium cum Iudeorum fidei popu-
lo ſuã pluribus expoſuit.

Cuius factus ſum ego Miniſter] Hæc eſt illa
doctrina, & hæc vinculorum meorum cauſa, quia ſcili-
cet Miniſter huius nunquam ſatis celebratæ doctrinæ fa-
ctus ſum, non ex aliquo meo merito aut dignitate, ſed
ſecundum donum gratiæ Dei, ſiue ex mera miſeri-
cordia.

Quæ data eſt mihi ſecundum efficaciam po-
tentiz

centiæ illius] Ego minimè eram idoneus ad hanc tam arduam functionem sustinendam. Sed Dominus sua potentia ad huius muneris administrationem idoneum me constituit, in paradisi schola singulariter me erudiendo, alijsq; donis hanc ad rem necessarijs instruendo. Ne autem hæc arrogantius iactare videretur, quòd præ cæteris sit sublimi illa mysteriorum notitia peculiariter illustratus: se omnium sanctorum minimus vera cordis humilitate prædicat, quòd Ecclesiam Dei horribiliter olim vastarit. Vnde se alibi non dignum esse scribit, qui vocetur Apostolus. Verùm ex immensa Dei misericordia concreditum sibi affirmat hoc tam sanctum munus Euangelizandi, seu per Euangelij conuersionem proferendi imperuestigabiles diuitias & thesauros bonitatis Christi: de ipsius in carnem aduentu, & obedientie infinito merito, ex quo ad totius mundi peccata delenda inexhaustus quidam fons gratiæ Dei exuberet. Similiter vt in lucem hominum profertur & patefaciat, quæ sit mysterij illius à seculis in Deo hæctenus absconditi communio, gratiæ cuius gentibus etiam ad Christi regnum ingressus patefactus est. Cuius mysterij dignitatem ab autore: autorem à potentia celebrat, quæ ex vniuersorum creatione eluxerit. Qui condidit, inquit, vniuersa per Christum Iesum: docens apud eundem illum Deum, qui sit cæli terræq; creator, reconditum ab æterno fuisse Euangelicæ doctrinæ mysterium: Et per eundem nunc in lucem proferri, per quem & secula sunt condita, nimirum per Ie-

sum Christum. Et quidē sic proferri, ut ipsis quoq; principatibus ac potestatibus in cœlestibus, hoc est, beatis Angelis innotescant hæc arcana, quæ antehac illos latuerant, soli Deo cognita. Nunc autem nota facta refert etiam Angelis, dum in Ecclesia manifestantur per Euangelium æternum: vnde & admirantur & introspicere gestiunt in sapientiam Dei, quod ipse in se incommutabilis permanens, nihilominus ratione varia & omni creatura imperuestigabili suam Ecclesiam gubernet, asciscendo gentes in societatem populi sui, quæ olim erant alienæ, & infinita alia faciendo, quæ in arcanis Euangelij spectatu & admiratione digna occurrunt. Quæ omnia gerit Deus sapienter, eaq; in tempore exequitur, sicut ab æterno constituit: nimirum iuxta præfinitionem seculorum, id est, iuxta propositum ac decretum suum, quo ante omnia secula statuit gentes etiam ad Filij sui agnitionem vocare. Quam præfinitionem fecit in Christo Iesu Domino nostro: tum quod in huius merito fundata sit gratuita hæc gentium vocatio & electio ad salutem: tum etiam, quod per hunc Deus efficaciter illud gratiæ suæ decretum exequatur. Per quem etiam habemus audaciā (παρρησίαν) & aditum, ut imperterriti animo Deum Patrem accedere in nostris precibus audeamus cum filiali fiducia, quæ est per fidem illius. Eo ipso enim dum in Christum credimus, fiduciam simul concipimus erga Deum Patrem, cuius fiducia fundamentum est ea, quæ in Christum dirigitur fides.

LOCI

LOCI COMMVNES.

Primus. Paulus ne in vinculis quidem cessans Christi gloriam illustrare, sed ex captiuitate sua passim ad Ecclesias, vt & ad Ephesios, scribens, indefessi studij admonet Ecclesiarum ministros, ne vllam occasionem adificandi Ecclesiam suae fidei concreditam intermittant, sed instant tempestiue & intempestiue, vt 2. Timoth. 4. requirit.

Secundus. Vincula Pauli documēto nobis sint certitudinis doctrina, quam in mundo professus est, vtpote pro qua non dubitauit vinciri, & vel mori pro nomine Iesu Christi, Act. 20. Sicut etiam consummato cursu suo & decerto certamine haudquaquam recusauit sanguinem profundere, & celebri suo martyrio confirmare nobis indubitatam certitudinem Euangelicae veritatis. Quod ipsum fecerunt Apostoli reliqui. Tot ergo singilla habemus istius doctrinae, quot martyria testium & confessorum Iesu leguntur.

Tertius. Eadem haec vincula Pauli exemplo nobis sint, ne nos pudeat testimonij Domini Iesu, & vinculorum eius, quorum haud puduit tantū Apostolum. Nam et si corā mundo apparent ignominiosa: tamē quia causa gloriosa est, gloriosa redduntur & vincula. Si probris afficimini (scribit Petrus) in nomine Christi, beati estis, quia gloria & Spiritus Dei super vos requiescit. Iuxta ipsos quidem maledictis afficitur, iuxta vos autem glorificatur. Ne quis enim vestrum affligatur vt homicida aut fur, aut facinorosus, aut

Perro

Porro sicut Christianus affligitur aliquis, ne pudeat, imò glorificet Deum in parte hac. Sic de supplicio crucis, quod Petro indixit Dominus, scribit Ioannes, hac dixisse Iesum, ut indicaret, qua morte glorificaturus esset Petrus Deū. Vnde sibi pro summa gloria & gaudio ducunt discipuli, Actor. 5. quod digni essent habitū pro nomine Christi probro affici. Quod probum Christi thesauris Aegyptiorum preferendum censuit Moses, Heb. 11.

Quartus. Paulus pro gentibus vincula & captiuitatem ferens, exemplum etiam est boni pastoris, qui veniente lupo non fugit, sed vel cum periculo vitæ pascit oues sibi commissas. Ita singuli concionatores sint affecti. Dent operam, ne sint mercenarii, quibus oues non sint cura, sed curam gregis agant, non coacte, sed volentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, &c. ut cum apparuerit ille pastorum princeps, reportent immarcescibilem coronam gloriæ. Cuiusmodi promissiones extant complures in Epistolis Filij Dei, quas dictauit Ioanni scribendas ad angelos siue doctores septem Ecclesiarum in Asia, Apocal. 2. & 3.

Quintus. Quod Deus in gratiam gentium tantum excitauit Apostolum, qui perspicue profiretur, sibi datam dispensationē gratiæ Dei in gentes: meritò nos gentes pro electo illo & salutari organo gratias Deo agamus, & religiosissime nobis commendatos esse patiamur labores & scripta Pauli, quibus Ecclesiam penè omnium gentium plantauit, & adhuc plantat vsq; ad consummationem seculi. Hunc Dei virum verè possumus appellare

appellare NOSTRUM, hoc est, gentium Apostolum. Qui licet Hebraus ex Hebrais existens, NOSTER tamen esse & haberi gaudet, ideoq; se doctorem gentium nominat cum fide & veritate, 1. Timoth. 2.

Sextus. Quæ sit illa sapientia & eruditio, in qua pie ac sine peccato possimus gloriari. Non Philosophia humana, quæ aliàs suam suo loco habet commendationem & laudem: sed cognitio Christi, de qua hic vnicè gloriatur Apostolus, & in ea se pia sanctaq; gloriatione iactat. In hac omnem suam cognitionem & eruditionem penitus absolui perhibet, Corinthijs scribens: cum venirem ad vos, non iudicavi me scire quicquam, præter Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hoc est, quod Ieremia 9. dicit Dominus: Sapiens non gloriatur in sua sapientia, nec fortis in fortitudine, nec diues in diuitijs suis, sed qui vult gloriari, gloriatur in eo, quod me nouerit. Quam sententiam Syracides 10. cap. ex Ieremia repetit.

Septimus. Doctrinam Euangelij non esse naturâ notam, Paulus toties ostendit: quoties mysterium nominat, & à seculis in Deo absconditum fuisse declarat. Nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare, ut nec Filium nouit quisquam, nisi Pater. Ideo cum Petrus confessionem ex media Euangelij doctrina edidisset de Christo, dicens: Tu es Christus Filius Dei uiuentis: Respondet ei Saluator: Caro & sanguis tibi non reuelauit, sed Pater meus, qui in cælis est. Reuelat autem Pater per Spiritum suum, ut hic legitur, & 1. Corinth.

1. Corinth. 2. prolixius his verbis explicatur: Sapientiam loquimur in mysterio, quæ est recondita, quam præfinierat Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum seculi huius cognouit. Nam si cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quemadmodum scriptum est: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ preparauit Deus diligentibus se. Nobis autem Deus reuelauit per Spiritum suum. Ergo ne conemur mysteria regni cælestis accommodare humana Philosophia regulis, aut ex capto nostro metiri. Sicut hodie Sacramentum omnia sua argumenta, quibus gloriam Filij hominis oppugnant, TANTVM ex Philosophia petunt, quorum summa huc redit: quia Christus corpore suo ascenderit in cælos, & neg. corpus possit simul & semel in pluribus esse locis, nec finitū infiniti capax: ideo non competere Christo ratione carnis, vt vel in multis vel omnibus sit locis, nec tribui posse Christo, quā Homo est, vt reali communicatione diuina Maiestatis sit omnipotens. Nos autem doctrinam Euangelij de Christo non solum in cælum subuecto, sed etiam in dextra Maiestatis regnante, & vt Paulus loquitur, omnia implente, meminerimus esse mysteria, quæ non scrutari sed adorare tenemur. Ideo captiuum ducamus πᾶν νόημα sub obsequium Christi, scientes, quod animalis homo in hisce articulis non capiat quicquam, 1. Corinth. 2.

Octauus. De Maiestate & indubia certitudine doctrina Euangelica, quæ hinc supra humanū modum attollitur,

colitur, & cœlitus patefacta intelligitur, quod res in ea tradita tam sunt vndiquaq; cœlestes, vt nisi è supernis patefactæ essent, ad eas indagandas ne quidem totius mundi sapientia potuisset assurgere. Cuiusmodi sunt sacrosanctæ Trinitatis articulus, arcagum incarnationis Filij Dei, mysterium de admirando consilio redemptionis mundi, de iustificatione, prædestinatione, alijsq; rebus plurimis. Quæ sic comparatæ sunt, vt licet ab humana ratione prorsus dissideant, rationis tamen iudicium sublimitate sua compeſcant, & sic reprimant, vt veritati sacrarum literarum homo non sine conscientia trepidatione possit contradicere. Quod argumentum certitudinis scripturæ Paulus repetit, Rom. 16. 1. Cor. 1. & 2. Et quidem $\chi\rho\iota\tau\eta\varsigma$ hoc eo certius & admirabilius redditur, cum ponderatur, quanto intervallo à sublimitate istarum rerum omnia omnium Philosophorum monumenta distent, & quàm sit profundum de tantis arcanis in omnibus illorum scriptis silentium, ita vt ne quidem vlla vnquam cogitatio horum mysteriorum animos eorum subierit.

Nonus. Hæc insuper patefactio Euangelij insallibile est signum diuinæ bonitatis erga genus humanum. Nam quia in cognitione Dei & Christi cœu cardine quodam nostra vertitur iustitia, & vita æterna: Nos autem naturâ non poteramus illum cognoscere, quod lucem habitat inaccessam, vt nemo quicumque eum vel viderit, vel videre etiam possit: ipsemet velut ex arcana sede prodiens sese in verbo veritatis patefecit.

Esa. 55.
Ioan. 17.

patefecit, & agnoscendum praeiuit, omneq; consilium suum aperuit, misso in mundum Filio, qui nobis voluntatem Patris liquidissime exposuit & enarrauit, Ioan. 1.

Decimus. De tempore noui Testamenti, quod verè seculum aureum dixeris ob illustrem patefactionem earum rerum, quae cunctis retrò at atibus non innotuerunt filijs hominum, adeò vt nunc Christi & ipsius regni cognitionem habeamus multò pleniorē, quàm olim Prophetæ habuerunt. Quam ob causam CHRISTVS suos discipulos beatos predicat, quia videant oculis suis & audiant auribus, quae olim multi Reges & Prophetæ, videre & audire desiderârunt, nec tamen hoc vel viderint vel audierint. Quod autem maior est felicitas seculi nostri, eò grauior subsequetur pœna, si tempus illud visitationis nostrae negligamus, Luc. 19.

Vndecimus. Cùm illius mysterij pars quaedam sit, quod & gentibus pœnitentiam concessit Dominus ad vitam, vt in Actis legitur: docemur, non iam ad solos Iudeos pertinere regnum Dei, sed etiam ad exercitum illud ac plenitudinem gentiũ. In Christo enim non vnus tantum populus, sed omnes gentes & familiae terrae benedicendæ erant, sicut Abrahamo promissum & in vniuersali vocatione gentium completum est. Quae etiam cum gaudio receperunt verbum Apostolorum, exultantes super gratia Dei, quod essent coheredes *τῶς ἐπαγγελίας* seu concorpores, & consortes promissionis in Christo per Euangelium. Hoc dono nobis diuinitus concesso vtamur ad prædicandam hinc Dei clementiam: non autem ab-

ut amur

ut amur ad peccandi licentiam. Potest enim Deus rursum excindere eos, qui præter naturam in oleam fuerunt inserti, Rom. 11.

Duodecimus. Ad exemplum Pauli discamus nos coram Deo humiliter, quantumuis excellentibus donis ornati. Paulus qui fuit vir Dei, potens sermone & facto, in paradiso Dei institutus, & factus electum organum ad portandum nomen Christi coram regibus & filiis Israël, non erubescit se vocare minimum omnium Sanctorum. Quod non facit hypocritica simulatione, quæ spiritualis esset coram Deo superbia: sed vera animi humilitate ex recordatione suæ pristina impietatis, quæ Dei Ecclesiam hostiliter infestabat & persequabatur. Sic & nos humiliemur sub potenti Dei manu, & quod maioribus donis sumus præditi, eò humiliores nos geramus, iuxta præceptum Syracidæ. Nam Deus ipse quidem est omnium altissimus, atque interim magna & præclara operatur per eos, qui sunt humiles corde, Syrac. 3.

Decimustertius. De dignitate ministrorum verbi, quibus licet indignis hæc datur gratia, ut in humano genere Euangelizent imperuestigabiles diuitias Christi & Dei mysteria in lucem proferant: quorum mysteriorum æconomi seu dispensatores sunt constituti. Videant ergo ne peruersis opinionibus hæc mysteria profanent & contaminent: vel vita dissoluta contemptui hominum exponant, neue sint ex eorum numero, quos Dei Spiritus Psalmo quinquagesimo perstringit hunc in modum:

R

Peccato-

Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti verba mea retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, &c. Potius igitur deuoto pectore studeamus sanctę castęq; tractare hæc arcana, & custodire cœleste depositum, retinentes in officio nostro fidem & bonam conscientiam, & exhibentes nos tanquam Dei operarios non erubescendos ad plenum probatum reddere ministerium nostrum satagamus.

Decimus quartus. Illustre hic testimonium legitur, quo æterna Christi Deitas astruitur: quando scribit Paulus, Deum condidisse vniuersa per Christum Iesum. Quod opus creationis cum soli Deo congruat, iuxta hæc *Esai. 44.* verba Domini: Ego Iehoua faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram & nullus mecum: ac nihilominus Christo Domino perspicuè tribuatur, cum hic, tum *Ioan. 1. Colos. 1. Hebr. 1. & 3.* manifesta consequentia inferitur, ipsum verum esse Deum, super omnia benedictum & laudandum in secula, *1. Ioan. 5. & Roman. 9.*

Decimus quintus. De Angelis: quorum potentia indicatur, cum dicuntur principatus, & potestates. Sapientia autem illorum sic comparata innuitur, vt manifestatione mysteriorum Euangelij augeri potuerit. Clare enim docet Paulus, etiam cœlestibus principatibus & potestatibus notam esse factam multiformem illam sapientiam Dei in mysterio Euangelij. Nam quæ sciunt

de ineffabili vnione Personali seu incarnatione Filij Dei, ipsius iuxta carnem sessione ad dextram Maiestatis, admirando consilio redemptionis, vocatione gentium, &c. norunt ea non ex concreatâ sapientia (quandoquidem hac ad profunditates illas Dei expresse refert Paulus, quas sine Dei reuelatione ex sua propria sapientia nemo nouisse valeat) sed norunt hæc omnia ex reuelatione, cum quidem antequam ex arcano Dei sint consilioꝝ in lucem proferrentur, ipsis etiam angelis naturâ incognita verè fuerint.

Decimus sextus. De Dei in nos paterna cura & prouidentia, quæ iam inde ab æterno statuit, quomodo nos saluare vellet, ac de medio cogitauit, quo ex lapsu erigeremur, antequam funestus ille lapsus accideret: eligens nos in Christo Iesu, priusquam iacerentur fundamenta mundi, & secundum illam præfinitionem seculorum hoc electionis suæ decretum in Christo Iesu clementer exequens.

Decimus septimus. De mediatore nostro vnico Domino Iesu Christo. Per hunc namq; accessum nos habere hic rursûm confirmat Paulus. De quo loco in præcedentis capitis enarratione plura habuimus.

Decimus octauus. De natura fidei, quæ non hesitat per diffidentiam, sed cum πιστις καὶ ἀγάπη coniuncta est. Ideoq; ἡ ἀγάπη definitur ἐλεῖν. Heb. ii ad firmitatem eius declarandam. Dæmonanda igitur est Pontificiorum doctrina Ethnica, quæ

R a fident

fidem sola cognitione & assensu historia definientes, nobiliorem fidei partem $\pi\alpha\rho\rho\eta\sigma\iota\sigma\alpha\iota$ siue fiduciam de qua Paulus agit, & quæ fidei quasi anima est, improbe damnant. Atque sic loco vera fidei obrudunt Ecclesia dubitationem suam, quam virtutis & humilitatis nomini pingunt. Contra quem errorem hanc Pauli descriptionem teneamus.

Decimus nonus. Fidem hominis non immediate ad Deum irrumpere sed primo intuitu ad Christum cum propriissimum obiectum suum se conuertere, ut huius satisfactionem pro peccatis apprehendat. Qua apprehensa mox certam fiduciam concipit in Deum Patrem quoque, nimirum eiusmodi nunc intercessore freta, quem scit à Patre in omnem eternitatem rejici aut reprobari non posse. Hoc est quod Apostolus scribit, nos habere adiutum cum fiducia, quæ sit per fidem Christi: subindicans fiduciam illam adeundi Deum oriri ex fide in Christum propitiatorem concepta.

Vigesimus. Discimus tandem, inuocationem veram & salutarem non posse fieri sine fide in Christum. Aperte enim Apostolus indicat, adiutum non patere nisi per fidem Christi. Quod Rom. 10. pariter confirmans scribit: Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Ergo inuocatio, quæ ex fide non proficiscitur, non exauditur. Sed in peccatum vertitur, Psalmo 109. quia quicquid ex fide non est, peccatum est. Quemadmodum etiam Iacobus scribit, eos, qui inter orandum basitent, nihil impetrare à Deo. Econtra Saluator de

de fidei precatione d'sserens affirmat: Omnia quecun-
que petieritis in deprecatione credentes, accipietis,
Matthæi 21.

SECUNDA PARS.

Posteaquam Diuus Paulus dignitatem sui muneris
amplificauit, ostensa cum diuina sua ad illud voca-
tione, tum doctrina sublimitate maiorem in modum illustra-
ta: nunc ceu fundamento superstruit sequentem ex-
hortationem. Cuius propositionem hanc manifestè po-
nit: Quapropter peto, ne deficiatis ob affl. ctio-
nes meas] Dehortatur illos ab apostasia, ne propter ca-
priuitatem Pauli à doctrina Christianæ religionis defi-
ciant. Et vocula (quapropter) per illationem conne-
ctit partem hanc cum præcedente. Porro propositionem
confirmat argumentis. Quorum primum ab inhon. sto
ductum, h' scè verbis complexus est: Quas pro vobis
tolero] vt sensu sit: In leuens valde foret, si velleris de-
ficere ab Euangelio, propter eas ipsas affl. ctiones, qua
mibi propter vos eueniunt. Ac quicquid iam tolero in
vinculis meis, propter vos tolero: dum enim vobis Eu-
angelium prædico, dum vos laboro ad Christum perdu-
cere vinculis constringor ex odio mundi & Satana. Er-
gò nunquam vobis hanc coram Deo & sanctis ange-
lu maculam inuri patiamini, vt qui in h' quodammodo
vinculorum causa estis, velitis illorum causa resi-
lire ab Euangelio. Quæ est gloria vestra] Secun-
dum argumen. um ab honesto: G'loria um vobis est con-

stanter adherere ei doctrina, cuius Apostolum & con-
 fessorem cernitis extrema quævis propter illam mini-
 me detrectare. Quandoquidem hac ipsa nota constan-
 tia mea perquam egregie se vindicat ab omni fraudis
 & impostura suspitione, quod non spe lucri inductus,
 aut cuiusquam terreni commodi expectatione motus
 illam mundo proposuerim, sed tantum quia illam in-
 dubiam veritatem celestem esse testimoniis plusquam
 humanis persuasus sine ulla dubitatione sciq. Ceterum
 quia non ignota erat Paulo humani corâs inconsan-
 tia, & Satanae incredibilis conatus in attentanda ho-
 minum fide, sicubi illam posset concutere & labefacta-
 re, idcirco ad Deum se conuertit, hoc ipsum, ad quod Ephe-
 sios erat exhortatus, illis à Domino supplicibus votis
 petens. Huius rei gratia flecto genua mea, &c.]
 quasi dicat hac res tantopere mihi est cordi, ut eam gra-
 tia quotidianas ad Deum preces fundam, flexis cordis
 & corporis genibus, hoc suppliciter contendens à Deo
 & Patre Domini nostri Iesu Christi. A quo tan-
 quam communi Patri omnis cōgnatio nomi-
 natur in cælo & in terra. Cognationem autem in-
 telligit eam qua Christus nobis, nos Christo vnus iam
 Patrius communione sumus deuincti, ut sit sensus: Pa-
 ter ille est communis Pater, non solum Domini Iesu
 CHRISTI per Naturam, sed etiam cunctorum cre-
 dentium siue in cælis triumphantium siue in terris ad-
 hæc militantium Pater est, per gratiam adoptionis. Ab
 Episcopo (vult dicere) peto ego ardentem, ut det vobis
 iuxta

iuxta diuitias gloriæ suæ, vt fortitudine corroboremini per Spiritum eius, in internum hominem, hoc est, vt ita confirmemini in doctrina veritatis, ne ob vllas afflictiones, vel meas, vel vestras vacilletis, multò minus deficiatis: sed secundum internum hominem in agnitione, fide, spe, & tolerantia, nouis subinde auctibus & incrementis robustiores efficiamini. Idq; per Spiritum sanctum, qui fidem vestram diuinæ virtute sua fulciat atque hoc efficiat, vt habitet CHRISTVS per fidem in cordibus vestris, hoc est, vt is viuat & agat in vobis, vt præter CHRISTVM nihil sapiatis, nil desideretis, sed hunc totum vestrum esse cogitetis: atque ipse vicissim in corde vestro hospitium sibi paret, cui secundum gratiam clementer inhabitet. Fixis in charitate radicibus] Quem admodum petit à Deo, vt in fide proficiant: sic orat, vt in charitate quoq; profundas radices agant, ne vlla vitentationum subuertatur. Vt valeatis assequi, quæ sit latitudo, &c.] Precor etiam, vt cum reliquis Christianis valeatis aliquo modo per fidem pensitare, quæ sit latitudo, longitudo, profunditas & sublimitas mysterij gratiæ & misericordiæ Dei per Christum exhibite. Quod videlicet eius latitudo nullis vsq; terminis se claudi patiatur: quod longitudo eius se porrigat à solis ortu vsq; ad occasum, & in omnium gentium orbem se extendat: quod profunditas illius ad contemptissimam queque è cæno miseriæ attollenda se demittat: quod denique altitudo eius omnium hominum

& Angelorum intelligentiam transcendat, atque sit in omnes dimensiones iura mensuram & modum pateat.

Cognoscereq; præminentem dilectionem cognitionis Christi] hoc est: precor item à Deo, ut in cordibus vestris sentiatis summum erga cognitionem Christi amorem & dilectionem: qua imbuti non patiamini vos rebus vel prosperis vel aduersis ab ea cognitione diuelli: sed impleamini in omnem plenitudinem Dei, qui sua in vos dona vberim conferat, & ad consummatam perfectionem vos tandem deducat. Pertinet autem hæc precatio ad locum facilitatis, huc spectans, ut doceat, etsi perseverantia in fide excedat mensuram humanarum virium: Dei tamen ope posse illos stare in bono: quamobrem etiam ab hoc precatur & impetrat Ephesius id perseverantia donum.

Precationi Paulus gratiarum actionem subiungit, aded nihil de exauditione dubitans, ut nihil ambigat pro illa, licet haud dum in oculos incurrente, Deo vota soluere. Immisceat autem manifestè possibilitatis locum à natura potentia diuina. Ei autem, inquit, qui potest cumulatè facere] Potentiam Dei exaggerat, dum perhibet, posse Deum facere non tantum ea, quæ ratione valeamus assequi, sed ea etiam, quæ omnem caput intelligentia nostra excedant longissimè. Et quidem cumulatè illa facere posse ultra omne quod vel orando petere audemus, vel cogitando intelligere possumus. Quod simul ad consolationem

Ephesio-

Ephesiorum accommodat. Quia enim nihil quicquam est, quod non potentia Dei subiaceat: vtrique pro sua omnipotentia poterit & pro sua bonitate volet dare vobis, vt in bono perseueretis. Idg, secundum efficaciam agentem & exerentem se in nobis (quos semel regenerauit) aduersus portas inferorum protegendis & conseruandis. Huic prepotenti Deo sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum in omnes ætates seculi seculorum, Amen.

LOCI COMMVNES.

Primus. Exemplo Pauli docentur pastores Ecclesie, vt vigilant pro grege suo, ne quoad fieri potest, seducatur aut deficiat à sana doctrina quisquam. Vigilent autem tum vrgendo sinceritatem doctrinæ, & ad eam exhortando, tum verò etiam suis ad Deum precibus pro salute auditorum instando. Quod factum moperè est necessarium, tum propter infirmitatem carnis abhorrentis à cruce (quæ cum professione sana doctrinæ solet esse coniuncta) ac pruriens studio nouitatis, quo capti multi à veritate aures auertunt: tum verò etiam propter versutiam hereticorum, qui toto conatu hoc agunt, vt discipulos alliciant, & deprudentur incircumspectos: Denique ob indefessum conatum Satane circumeuntis, leonis instar, ac querentis, quem deuoret.

Act. 20.

Coloss. 2.

1. Pet. 5.

Secundus. Afflictiones doctorum, quas Euangelij causa sustinent, potius animent auditores ad constantiam, quàm vt hinc defectionis ansam arripiant. Sunt

R s enim

enim ille afflictiones veluti stigmata Iesu Christi, & insignes notae laudatae constantiae, quam ceteri Christiani conspicientes emulari & sectari debet. Idem Paulus mul-

1. Corin. 4. tories suas calamitates longo catalogo recenset, ut animum addat pijs simili ratione quous adversa pro Evangelij doctrina subeundi.

- Tertius. Preces nostras ad Deum debere esse non frigidas, sed ardentes, ex spiritu & veritate profectas: quemadmodum apostolus flexis genibus serio cum affectu precatur. Hoc cum non sit nostrarum virium: Deum
Zacha. 12. oremus, ut in corda nostra effundat spiritum gratiae & precum, qui excitet in nobis viuendum orandi affectum
Rom. 8. coniunctum cum filiali fiducia, qua clamare possimus: Abba Pater, Rom. 8.

- Quartus. De communi nostra cum Deo & omnibus fidelibus cognatione. Quam efficit CHRISTVS Dominus, qui communione assumpta Naturae frater noster factus, suum Patrem reddidit nostrum Patrem, ut non modo sit pater Christi, sed propter Christum etiam omnium piorum ac fidelium, qui adoptati sunt in filios Dei, ut iam consummata sit, & in quendam perfectionis circulum reducta paternitas. De qua Christus, Ioan. 20. Ascendo ad Deum meum, & ad Deum vestrum, ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Hac igitur paternitate nos dignos geramus, ne degeneremus, sed in luce ambulemus, sicut & ille in luce est.

- Quintus. De perseuerantia in fide, qua non est in nostris viribus posita, sed Dei donum pijs precibus impetran-

petrandū. Quod tamen Dominus dare certò vult omnibus, qui ex fide petunt. Fides non est omnū, inquit Paul. Luc. 11.
 sed fidelis est Deus, qui stabiliet vos & custodiet à ma- 2. Theff. 36
 lo. Cuiusmodi promissiones extant multe in epistolis
 Pauli, 1. Cor. 1. & 10. Phil. 1. 2. Theffal. 2. & 3. & apud Pe-
 trum priore epistola 1. & 5. cap.

Sextus. Quoniam scribitur hoc loco Christus habi-
 tare in cordibus fidelium per fidem: argumentum hinc
 sumitur pro stabilienda Christi, quā homo est, personali
 presentia. Quoniam enim aliud est gratiosa inhabi-
 tatio, aliud verò presentia, quæ potest esse etiam absque
 gratiosa in habitatione (quemadmodum etiam in me-
 dio inimicorum Christus in dextra Patris dominatur
 præsens) tamen habitatio & mansio illa in nobis gratio-
 sa, quæ hic, & Ioan. 14. promissa extat, præsupponit in-
 habitantis presentiam. Proinde quia hic non λόγ &
 simpliciter quā λόγ &, sed Christus, quā Christus (qui
 ab vnctione humane nature Christus dicitur) in nobis
 habitat: sequitur illum nobis presentem esse, non dimi-
 diatum, in vna tantum naturā, quæ extra alteram per
 αἰ. & τωσιν quandam constituatur: sed totum secun-
 dū ambas naturas αἰ. & τωσιν intimesibi presentes.
 Quemadmodum promisit in Verbo suo, Matth. 18. & 28.

Septimus. Quæ sint virtutes Christianis hominibus
 cum expetenda tum scetanda, videlicet fides, per quam
 Christus apprehensus mansionem apud nos facit & gra-
 tiosam in habitationem. Deinde charitas, in qua radices

figi

figi vult Paulus, vt tenaces eius simus, velut sequente capite audiemus. Teriò tolerantia in afflictione, quæ ob aduersitates huius mundi Christianis maximopere necessaria est; vnâ cum cæteris virtutibus, quarum alibi fit mentio.

Octauus. Dei bonitatem, quæ in Christi redemptione eluxit, nulla ex parte esse mensurabilem, sed vada quæque immensam & infinitam: cuius longitudo, latitudo, profunditas & sublimitas non nisi fidei oculo
 Psal. 103. potest conspici. Hinc ille voces sancti rum: quantum distat oriens ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Secundum altitudinem cæli à terra corrobora-
 Psalm. 36. trauit misericordiam suam super timentes se. Item magnificata est vsq; ad cælos misericordia eius. Et rursum:
 Syr. 2. misericordia eius tanta est, quantus est ipse, & c. Et vbi
 Roman. 5. exuberauit peccatum: multò magis exuberauit gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Nonus. De omnipotentia Dei, quæ potest non modo facere, quæ nos cogitatione nostra possumus comprehendere, sed abundanter & cumulatiè vltra omne, quod cogitamus. Coram ipso enim nihil impossibile, Ierem. 32. Zuch. 8. Ergo temerarij sunt, qui omnipotentia Dei limites constituunt, & mox contradictoria esse clamitant, quæ in suo cerebro putant esse impossibilia ipsi quoque Deo. Error Sadducæorum, Christo perhibente, hinc ortus erat, quod partim nescirent scripturas, partim
 VIRTUTEM Dei. Sic Zvinglianorum error ex hoc
 fundamento nascitur, quia nec scripturas sciunt, nec
 virtutem

virtutem

virtutem Dei. Id. oq³ sentiunt in corde suo, quidam etiam profitentur ore esse quoque Deo impossibile, vt aterni & omnipotentis Filij Dei corpus salua sua substantia simul & semel in pluribus sit locus. Hinc contradictiones fingunt, vbi coram Deo nulla sunt. Verum non eo ingenio erat pater fidelium Abrahamus, vt si quid putasset esse in natura impossibile & coram ceterationis iudicio cum contradictionis implicatione coniunctum: protinus apud Deum quoq³ impossibile vel contradictorium censuisset. Promissionem acceperat de regibus & populis ex Isaac proditurus, precipue autem de semine benedicto nascituro ex Isaac. Hunc porro iubetur immolare, antequam vlla proles ex eo nata erat. Si Abraham fuisset ea mente, qua Calviniani: confessim ita concludisset: contradictoria non possunt simul esse vera. Vt autem ex meo Isaac nascantur reges & populi, adeoque Messias etiam mundi: & nihilominus immoletur, antequam vlla ex eo nascatur soboles, sunt simpliciter contradictoria. Ergo non possunt simul esse vera, & proinde mandatum illud de immolando filio non à Deo, sed à malo genio profectum sit oportet. Verum Abraham persuasissimum sibi habens, posse Deum facere cumulatè supra omne, quod cogitare possumus, adeoq³ posse Isaac *Hebr. 11.* cum vel ex cineribus resuscitare, & factam promissionem in illo complere: nihil hesitauit per diffidentiam, sed Deo laudem omnipotentia tribuens accepto mandato parendum censuit. Scriptum est autem non propter *Rom. 4.* ipsum tantum sed & propter nos, vt vestigijs fidei ipsius, *cap.*

tanquam υἱοὶ τοῦ Αβραάμ, insistentes contra spem
 Naturæ sub spe fidei speremus & credamus. Sic in arti-
 culo resurrectionis, si contradictiones ex nostro arbitra-
 tu liceat comminisci: quàm speciosè videbimur causam
 adepti, hunc arduum & diffiilem articulum penitus
 abnegandi? Exemplum huius accipe. Dilaceratur
 aliquis homo à leone, eiusque caro tota aliquot dierum
 spacio deuoratur, & verè, quemadmodum alius quidam
 cibus, in ipsius (leonis) carnem & sanguinem vertitur.
 Iam certum est, hanc leonis carnem, in quam commu-
 tata est caro dilacerati hominis, nunquam in eter-
 num resurrecturam. Credimus enim resurrectionem
 carnis hominum, non leonum, &c. Ac nihilominus re-
 surget dilacerati hominis caro, quæ per illam naturalem
 conuersionem facta est leonis caro. Hoc audiens huma-
 na ratio, nonne pro impossibili contradictione habebit
 & iactabit, si non diuini Verbi repagulis intra fidei ob-
 sequium cohibeatur? Certum enim est huic memorato
 exemplo longè plausibiliorem speciem contradictionis
 inesse, quàm Caluinianorum fictitiæ contradictioni,
 quam contra veritatem doctrinæ sanæ iactant, impossi-
 bile & contradictorium opinantes esse, vt Christus se-
 cundum humanam Naturam ascendisse credatur in
 cælum, & nihilominus in omnipræsente dextra Dei cæ-
 lesti ratione adsit, omniāq; impleat, vt Paulus ait. Vi-
 deant ergo Caluini, quomodo in nouissimo die consi-
 flere velint humanis illis suis argutationibus, quibus Deo
 ipsi præscribere attentant, quid non minus apud ipsum,
 quàm

quàm apud homines pro impossibili contradictione sit habendum. Nobis autem paruulis Christi sit hæc regula instar sacre anchoræ: Deus potest ex *Dei. 1. 1. 1.* CVMVLATE facere VLTRA OMNIA, QVAE petimus aut COGITAMVS. Quia apud illum non est impossibile vllum verbum, vt ex Ieremia repetit & asseuerat Gabriel, Luc. 1.

Decimus. Porro quia in hac memorabili gratiarum actione legitur etiam, quod possit cumulatè facere vltra omnia quæ PETIMVS: opponamus hoc diffidentia carnis, cuius cogitationibus ceu telis ignitis Satana percelluntur haud rarò p̃j, vt calamitatem suam maiorem putent esse, quàm quæ vllò remedio leuari queat. Ideoque licet orent, tamen subinde cogitationes hæc animos illorum exercent, nimis deploratum esse malum, in quo versentur. Ad hanc diffidentiam reprimendam teneant hæc verba Apostoli, quod DEVS possit, & multoties (cùm est ex re electorum) soleat facere vltra, quàm ausint petere. Fatetur id Iacobus Patriarcha, cùm filios Iosephi, nepotes suos, aspiciens, in hæc grati animi verba erumpit: Non sum fraudatus aspectu tuo. Insuper ostendit mihi DEVS semen tuum. Sic Iobi duplicia reddidit DEVS omnium eorum, quæ amiserat: cùm is ne quidem simplum sperare ausu fuerit, sed nudam duntaxat liberationem à corporis & animi flagello petierit.

Vndecimus. De laude & gratiarum actione, quæ semper in Ecclesia tanquã grati sacrificiũ vigere debet.

Ha

Haec enim sunt nostra victima, vituli & fructus laborum laudantium Dominum, Osee 14. & Hebr. 13. Cultus certe Deo longè gratior, quam taurus habens cornua & ungulas, Psal. 69. quae de re plura vide Psalmo 50. Ergo nunquam non pro infinitis meritis celebremus nomen sanctum Dei, Psal. 103. Et gratias agamus semper illi de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi, Ephes. 4.

CAPVT IIII.

ARGVMENTVM.

TRIA potissimum tractat hoc capite Diuus Paulus. Primò instituit insignem exhortationem ad vnanimitatis studium. Deinde explicat liberalem donationem Iesu Christi, quae locupletauit Ecclesiam suam, cum ad dextram maiestatis consedit. Tertiò ab impietate vitæ & peccatis varijs, quibus Ethnici sunt dediti, prolixè dehortatur Ephesios.

PRIMA PARS.

Horror itaque ego vincetus in Domino] *Institutum est Ephesios ad concordiae studium inuitare. Dicit ergo, se hortari illos serid, vt huius, quae propositurus est, obtemperent. Ceterum adjicit: Ego vincetus in Domino: vt suae admonitioni pondus addat, & auctoritatem apud Ephesios conciliet, quod eam ex vinculis & carcere*